

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0759

0757

0763

0753

0768

0748

0808

0708

0858

0658

0258

Ende

Anfang

distantes, ut inducat aquas. Unde de hoc etiam fol. 141 A.  
Mirantur Sarraceni, Judaei et Christiani, quid tandem Soldanus  
velit facere de Jerosolyma, quod tantos labores et expensas  
facit pro ejus adaquatione. Putant Sarraceni, quod sedem  
regni transferre velit de Babylonia Aegypti in Jerusalem.  
Judaei sperant, quod Jerosolyma instaurata eam sit eis resig-  
naturus. Christiani vero opinantur, quod forte fidem Christi,  
quam abnegavit, reassumturus sit et dominicum sepulchrum  
cum civitate Jerusalem ipsis restituturus. Quod omnipotens  
Deus in cor ejus dare velit, pro quo incessanter exorandus  
esset Deus. Si vero in sua perfidia et apostosia manere velit,  
nihilominus Christiani Deum pro eo tenentur orare et pro  
longaeva vita ejus, quia sepulchri dominici custos est et rex  
terrae sanctae, et Christianis peregrinis satis pius et mitis.  
Sic faciebant antiqui patres, dum essent in babylonica capti-  
vitate, et orabant et oblationes offerebant pro vita Nabucho-  
donosoris regis, qui tamen eos captivaverat et templum incen-  
derat et Jerusalem destruxerat. Sicut patet Baruch. I. Sic  
facere hortatur apostolus 1. Tim. II., ut obsecrations et ora-  
tiones fiant in ecclesia pro regibus gentilibus et pro omnibus,  
qui in sublimitate sunt constituti, quatenus quietam vitam sub  
eis ducere possint fideles. Et primo Esdrae 6. praecipiuntur  
fieri oblationes pro vita regis Darii et filiorum ejus et  
orationes.

Hoc opus, quod Soldanus facit, Pilatus, praeses Judaeae,  
exorsus fuit, et chorban, sacrum thesaurum templi, ideo exhau-  
sit, ut aquas a duobus millibus stadiis induceret. Et dum  
Judaei contra opus (250 A) propter thesauri exspoliationem  
reclamarent, commotus Pilatus magnam interemit Judaeorum  
multitudinem et in opere perstitit. Sed dum nec sic Judaei  
quiescere vellent, timore Imperatoris destitit. De hoc habes  
Liber. 18. Antiqu. Jud. cap. 8 et de bello Jud. in Liber. II. c. 3.

Igitur cum ad medianam piscinam ascendissemus, vidimus  
juxta eam papiliones et tentoria, in quibus architecti et praefecti  
operum et exactores et magistri erant et negotia de aquarum gur-  
gitibus per montes fodiendi tractabant. Per circuitum autem  
papilionum multi Sarraceni et Mauri discurrebant colludentes,  
quos vehementer timuimus, ne forte ad nos ascenderent, et (nos)

